

non cessasse in colligendis excellentis ingenii viris, qui Canonibus studia sua consecrarent; hinc *utriusque juris doctrinam ita commixtam*, ut eorum praxis inseparabilis facta, & Principes scholas publicas instituentes coacti sint, *juris quoque Canonici exercitium* recipere, à quo nondum expedire se possint. Hinc morem ineptum ortum esse *omnia instrumenta publica latine consignandi*, an. 1539. à Francisco Rege iterum abrogatum &c. Deinde (2) cum quatuor magni Doctores, & Imperatoris Friderici Consilarii, *Bulgarus, Martinus, Jacobus & Hugolinus glossas* quasdam & minutas remissiones reliquissent, sic eos æmulatos esse successores, ut intra *trecentos annos plures tractatus & scripta* prodierint, quam ante Justinianum, *MD. annorum spatio*, saltem, *ut autores inclarescerent, vel marsupio consularent*. Hinc (3) tot *diversas opiniones* enatas, ut nulla sit materia, in qua non evidens *contrarietas* reperiat, maximo discentium, judicum & litigantium detrimento; eoque non modo exosos se reddidisse hos Doctores, sed & observatum esse, eos, qui his libris in teneriori ætate se applicarent, antequam philosophia & bonis literis mentem probe muniverint, facile *cerebro turbari*. Porro (4) pleraque *con-*
silia